Fax veritatis.
Vilnae 1672.

IOANNIS WOLFGANGI BOECLERI
PROFESSORIS REGII
FAX VERITATIS ACCENSA
PRÆMONSTRANS

Omnibus Omnium, quotquot reperiuntur, Hæreſum, Schiſmatum & Sectarum Patronis, Propagatoribus, Aſſeclis
VERAM ac INFALLIBILEM
illam, quam ipſe præeunte gratiâ Divinâ iam recenter ingreſſus eſt, E turbidis his Errantium Opinionum fluctibus ad exoptatiſſimum Tranquillitatis æternarumq; felicitatum portum perveniendi
VIAM
ubi
Retectis ſcopulis illis varijs & periculoſis, ad quos tot celeberrimi etiam, hujus & ſuperiorum ſeculorum Viri, ipſi nimium ſibi fidentes dejecti, cum irrecuperabili animarum damno hactenus naufragium paſſi ſunt, fallacijsq; quibus infenſiſſimus humanæ ſalutis hoſtis Sathanas magnam Chriſtiani Orbis partem faſcinatam huc-uſque fraudulentiſſimè detinuit
Ex
Scriptura Sacra, Ss. Patribus aliiſque probatiſſimæ fidei Doctorib9 vitatis omnibus ſcommatibus, obtrectationibus & verbis durioribus, é puro ſaltem & tot miſeré errantium ovium ſalutem unicè & ſeriò voventi animo, ipſâ ſimpliciſſimâ prælucente Veritate
Oſtenditur:
Vnam tantúm eſſe *Fidem*, *Vnam Eccelſiam*, atq; adeò *Vnam*, per quam omnes Ss. Patriarchæ, Prophetæ, CHRISTus, Apoſtoli, Ss. Martyres aliique Chriſtiani nominis Confeſſores infracti ad mortem uſque incedebant conſtantiſſimè, ad cæleſtem paradiſũ æternaſquè poſſeſſiones *Viam*; Eandemq; extra
SANCTAM ac CATHOLICAM ECCLESIAM
ROMANAM
Reperiri nullibi
Validiſſimis probatur argumentis.

Ierem. c. 6, v. 16. Hæc dicit *IEHOVAH*:
State ſuper Vias *& videte & interrogate de* ſemitis *antiquis, quæ ſit* Via *bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem Animabus veſtris.*

VILNÆ Typis Acad: Soc: IESV Añ. D. 1672.

SCHEMATISMUS

Præ-indicati Operis,
Quod in
Duas dispescetur Partes:
Quarum

PRIMA

Ostendet

Rationes, quibus firmatus ex abominanda & profundissima illa tot hæresum colluvie, post immensos labores & molestias difficillimas jam tandem auxiliante DEO emersi feliciter.

SECUNDA

Causas, quibus permotus accessi ad Sanctam hanc & intemeratam ECCLESIAM CATHOLICAM

Inter quas præcipuissimæ erunt

1. *Horrendus & infaustus Schismaticorum inter semetipsos, in arduis etiam & maximi momenti dogmatibus dissensus.* Prout iste ex proprijs ipsorum scriptis fusiùs demonstrabitur per omnes & singulos Doctrinæ eorundem Articulos, quos vocant *fundamentales*: unde patebit, quantum unusquisque unius ejusdémq; sectæ Assecla discrepet ab altero, & in quibus aliter sentiant *Helmaestadienses*, aliter *Wittebergenses*, aliter *Ienenses*, aliter *Regiomontani*, aliter *Francofurtenses*, aliter *Rostochienses*, aliter *Giessenses*, aliter *Rintelenses*, aliter *Heidelbergenses*, aliter *Belga*, aliter *Helveta*, aliter *Marchi. Brand. &c. &c.* adeò, ut in una sæpe Provincia, ne dicam civitate, tot discrepantes (vivos adducam testes) de hoc vel illo Articulo reperiantur sententiæ, quot ferè ibi capita, & quod iste ex ambone horis promeridianis defendat, ille pomeridianis refutet, quodq; hoc Consistorium (vera: sed summa cum consternatione dico, déq; omnibus his documenta suo tempore producam evidentissima) recipiat, alterum rejiciat &c.

2. *Fatalis Ipsorũ Sectariorum à prima & fundamentali Hæreseos suæ Authorum doctrina recessio.* Hîc examinabuntur præcipua primarij cujuslibet Sectæ Fundatoris dogmata & è regione ponentur sententiæ modernorum ejusdem Schismatis Doctorum: ubi tot támq; manifesta in singulis fermè articulis emergent contradictoria ut vel simplicissimi fraudem adversariorum animadvertere, déq; falsitate doctrinæ Eorundem judicare poterint.

3. *Nequissima ab unanimi Ecclesiæ primitivæ doctrina deflexio*, quæ præ cæteris ex sequentibus probabitur articulis: 1. De Bonis Operibus. 2. De Libero Arbitrio. 3. De Traditionibus. 4. De Sacramentis. 5. De Sanctis &c. adjectis undiq;, sed & refutatis fraudulentis ipsorum, ad quas sensum Ecclesiæ detorquere solent, explicationibus.

4. *Summa in omnibus, quæ veram Ecclesiam constituunt, atq; ad salutem æternam consequendam scitu necessaria prærequiruntur, incertitudo:* ubi ostendetur, quemadmodum omnes inter se è diametro dissentiant, ita nihil ferè certi apud illos reperiri: quandoquidem incertum ipsorum principium, incerta fides (hæc fusiùs explicabuntur omnia) incertæ constitutiones Ecclesiasticæ, incertæ Ecclesiæ notæ, incertum ministerium, incerta deniq; cum Scriptura Salus ipsa.

5. *Levissima Disciplinæ Ecclesiasticæ neglectio*: unde tanquam ex fonte scelera, flagitia, scandala, vitia numero ferè innumera in Orbem Christianum promanarunt abundantissimè. Hîc solidiùs exponentur Schismaticorum mores & redundantia ex carnali ipsorum doctrina scelera, adductis semper exemplis, & recentibus adhuc, & vel ipsis puerulis, notis.

1. *Magnus ille & unanimis Ecclesiæ Catholicæ per omnia sæcula in articulis fundamentalibus Consensus*, qui ab ipsis Apostolorum temporibus, ex illustrioribus Sanctissimæ hujus Ecclesiæ Doctorum Scriptis, ad hoc usque tempus probabitur evidentissimè.

2. *Concors & per tot persecutiones constantissima in doctrina Christi, Apostolorum, eorundem Discipulorum aliorumq; SS. Patrum perseverantia.*

3. *Maxima hujus Ecclesiæ, tot támq; illustribus miraculis firmata Authoritas.*

4. *Infallibilis in omnibus, quæ ad salutem consequendam scitu necessaria sunt certitudo.*

5. *Optima & Sanctissima Disciplinæ Ecclesiasticæ Conservatio.*

6. *Pientissimus in eradicandis Hæresibus, defendenda veritate cælesti, & convertendis Ethnicis ad fidem Christianam Zelus.*

Atq; hæc omnia, cum infallibili *Neminem extra hanc Ecclesiam salvari posse* ex Scriptura Sacra demonstratione, in promisso hoc Opere (si DEUS Vitam concedet & Patronos, quorum ope & auxilio in lucem id ipsum prodire poterit) dilucidè, solidè & enucleatè demonstrabuntur, ostendentur, probabuntur; neminem durioribus invehetur verbis, sed ad ipsam Veritatis Lucem Miseri illi & in densissimis tenebris ambulantes adducentur fidelissimè, cum Solennissima semper protestatione, me in his omnibus nihil aliud, quàm æternam tot miserrimarum, atq; per Diaboli astutiam huc usq; seductarum animarum salutem quærere, aut (si ultrà non licebit) ex penitissimo saltem pectore vovere.

Me verò & conversionem meam, quam seriam esse scit, qui interiora hæc nostra videt & scrutatur, quod concernit,

TIBI

OMnipotens, æterne, sancte Deus, qui nutu tuo cœlum temperas & Fines terrarum ultimarum, PATER, FILI & SPIRIRITVS S. TIBI, inquam, gratias, quantas mente hâc concipere possum, ago maximas, qui pro in perscrutabili ac immensâ illâ Tuâ Misericordiâ ad suspiria, ad preces, ad gemitus meos aurem tuam inclinasti clementissimè & Me ex abominanda illa tot Hæresum colluvie, ceu ex infimis inferni latebris ad sanctam *Tuam* & illibatam Ecclesiam Catholicam, â fallacijs scilicet ad Veritatem, â tenebris ad Lucem, â morte ad vitam jam tandem reduxisti felicissimè. Quid retribuam tibi Domine Deus meus? Exaltabo Te ex hoc inter populos & enarrabo omnibus, quanta Tu animæ meæ exhibueris beneficia. Quotidie laudabo Te & nomen tuum glorificabo nunc & semper. Tibi Domine, qui intima cordis nostri perscrutaris, optimè notum est, me nec Vanam aliquam mundi gloriam, nec transitorias hujus seculi divitias, nec aliud temporale quidpiam ad hanc adegisse religionis mutationem: sed solummodò efficacissimam illam agnitæ veritatis vim & debitam Tibi & exaltatæ Ecclesiæ tuæ Reverentiam cum intimo erga priscam illam & APOSTOLICAM DOCTRINAM, erga FIDEM infallibilem, erga Sanctimoniam & disciplinam optimam, imò verò, quod caput est, erga æternæ salutis certitudinem affectu, ad intemeratam hanc Ecclesiam Apostolicam mihi parâsse aditum. Et ecce! paratus sum Promptissimo animo suscipere omnia quæcunque etiam ob felicissimam hanc mutationem mihi posthàc juxta Paternam voluntatem tuam contingent, omnesque Adversariorum calumnias (quæ certè nunquam deerunt) falsas obtrectationes, mendacia, odia & quodvis aliud pro singulari agnoscam gratiâ, qui optimè novi hanc semper piorum esse fortunam: ut Eis â Diabolo & ejus satellitibus calumniosè obtrectetur. Felicem me existimabo in Istorum vivere odio, quos Tu, quia Tuæ repugnant veritati, justo prosequeris odio. Illumina quæso Domine, occœcatorum oculos, ut &c. &c. Mihi verò Tuam largire gratiam, ut in verâ illâ, quam in hoc corde meo excitasti fide vitâq; Tibi placente in una, Sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia ad mortem usq; perseverem constantissimè, utq; illa de die in diem augeatur magis, magisque &c. Tibi DOMINO DEO meo sit Gloria, Laus Honor ex hoc nunc & usq; in secula seculorum Amen.